

quælibet etiam tantillæ potentiaæ H & h , cùm ad quantascun-
que alias F & G aliquam saltem habeant proportionem, ali-
quousque saltem inflectent funiculos FHI & fbI .

VI. His fundamentis ita jactis propositum nostrum
ita porrò nos superstruximus: Si duo funiculi FHI & FHI
(Num. 3. Fig. 37.) supernè in F colligati clavoque fixi, infer-
nè pondere Gg onerati distrahantur horizontaliter ab ad-
motis quantuliscunque potentiis H & H , necessum est, secun-
dùm hætenus demonstrata, utrumque funiculum in H & H
tantillum saltem inflecti & pondus Gg aliquousque elevari,
quantum scilicet proportio potentiarum H & H ad resisten-
tias F & G , h. e. lineæ HO ad OF , requirit. Ponantur jam
bina alia quoque fila FbI & FbI prioribus æqualia, iisdem
locis fixa & colligata, ab aliis duabus potentiis h & h æquali-
bus tum inter se tum prioribus; hæ certè solitariae tantundem
agerent quantum illæ priores: nunc autem quando junctim
agunt hæ & illæ, partiuntur etiam pondus attollendum, ita
ut altera bina fila H & H non nisi partem ponderis G , altera
 h & h partem alteram g habeant sublevandam; ad quam
cùm habeant singulæ proportionem duplam ejus quàm an-
tea habuerant solitariae ad pondus totum; etiam HO & hO
jam duplo majores erunt, quàm in casu priore, pondusque
 Gg duplo jam altiùs elevatum. Consequenter igitur mul-
tiplicatis porrò filorum similium combinationibus à poten-
tiis similibus & æqualibus ab invicem distrahendis, multipli-
cabitur etiam perpetuò ipsorum dilatatio & ponderis elevati
altitudo. Cùm igitur vesica rectissimè concipiatur tanquam
textura ex innumeris quasi talium filorum, suprâ & infrâ col-
ligatorum, combinationibus contexta, quibus singulis com-
binationibus potentia flatûs debilissima æqualiter applicata,
cùm in singulis dilatandis vix sensibiliter quidpiam fuisset va-
litora, in omnibus junctim sumptis necessariò plurimùm va-
lere ex dictis constabat, dilatando omnes, h. e. totam vesicam,
& consequenter alligatum pondus adducendo.

Causa I.
Phæn.